

*An petitis sit annuendum necne?*  
S. C. C. resp.: Negative.  
Die 8. Junii et 6. Julii 1726.

### SACERDOTES.

Duodecim in Consecr. SS. Oleorum.

Vd.: *Coena Dom.* (Consecr. ss. Oleorum;  
*Olea s.* (assistentia).

### SS. SACRAMENTA.

(Administratio.)

Vd.: *SS. Sacramentum euch.* (administr.);  
*Administr. SSrum*; *Parochus*; *SS. Viaticum*  
(portandum etc.); *Canonici*; *Ritus graecus*;  
*SS. Sacram. euch.* (distributio); *Extrema*  
*Unctio*; *Unctio extrema*; *Moniales* (com-  
munio; confessor. extraord.); *Nativit. Dom.*  
(communio); *Communio frequens.* Vd. p. 496.

*Ad dubium*: An et cui liceat ad-  
ministrare SS. Sacramentum Viatici et  
extr. unctionis quibuscunque sive rati-  
one domicilii sive servitii degentibus  
in Hospitali s. Mariae de crucibus?

S. C. resp.: Licere Capellanis ho-  
spitalis.

Die 13. et 27. Junii 1789.

### SACRAMENTALIA

in baptismo.

*Benedictus PP. XIV.*

*De ritibus etc. in regnis Madurensi,*  
*Mayssurensi etc. Indiarum Orient.*

A Sacramentorum administratione  
exordium sumentes districte prohibe-  
mus, ne in baptizandis tam pueris  
quam adultis cujuscunque sexus et  
conditionis omittantur Sacramentalia  
sed omnia palam adhibeantur et si-  
gnanter saliva, sal et insufflatio, quae  
ex apostolica traditione cath. Ecclesia  
recepit ac ob recondita in his sacris  
caeremoniis divinae erga Nos boni-  
tatis mysteria, sancte et inviolabiliter  
custodivit, Decreto sanctae universalis

romanae Inquisitionis de anno 1656  
pro Sinis facto ob diversas rationes  
et circumstantias minime obstante.

Die 12. Sept. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 399.)

### SS. SACRAMENTUM EUCCHARISTIAE.

I. Administratio.

1) In Oratoriis.

Vd.: *Orator. priv.* (missae in variis etc.  
Bened. XIV.); *Orat. publ.* (Functiones etc.);  
*Confessionale in Oratoriis*; *Orator publ.*

*Ad dubium*: An liceat Capellano  
SS. Eucharistiae Sacramentum mini-  
strare tam inter missarum celebratio-  
nes quam in intervallo Missarum?

S. C. resp.: Affirmative inter Mis-  
sarum celebrationem excepta die Pa-  
schatis et communione paschali.

Die 13. et 27. Junii 1744.

2) A Parocho non facienda.

Vd.: *Parochus* (administr. Sacr.).

3) Parochianis alterius Parochiae SS. ad-  
ministrare non licet.

Sacrosancta Trid. Synodus *sess. 24.*  
*cap. 13. de Reform.* expresse man-  
dat, ut Christifideles a solo proprio  
Parocho Sacramenta suscipiant, ibi:  
*mandat sacra Synodus Episcopis pro*  
*tutiori unimarum eis commissarum*  
*salute, ut, distincto populo in cer-*  
*tas propriasque parochias, unicuique*  
*suum perpetuum peculiaremque Pa-*  
*rochum assignent, qui eos cognoscere*  
*valeat et a quo solo licite Sacra-*  
*menta suscipiant; utque unus Pa-*  
*rochus alterius parociae Parochianis*  
*Sacramenta ministrare non praesumat,*  
*aperte vetuit Epistola relata in Can.*  
*Ecclesias 13. quaest. 1., ibi: Nullus*  
*alterius parochiae terminos aut jus*

*Clemens PP. XIII.*

*invadat: Sit unusquisque terminis*  
*suis contentus et taliter Ecclesiam et*  
*plebem sibi commissam custodiat, ut*  
*ante tribunal aeterni judicii ex om-*  
*nibus sibi commissis rationem red-*  
*dat; idemque firmant Anacl. in Jus*  
*Canon. lit. 3. tit. 29. num. 3. in fin.,*  
*Franch. de Eccles. Cathedr. cap. 19.*  
*num. 118., Scarfant. ad Ceccoper.*  
*tom. 3. Addit. 39. num. 56., et Ric-*  
*ciardel. in licaeo Eccles. cap. 13. §. 2.*  
*num. 88. in fin., ubi etiam refert*  
*resolutionem S. Congregationis Rituum*  
*in Novarien. 12. Jun. 1627.*

(Ex resol. diei 30. Aug. 1777 *Fa-*  
*ventina.*)

II. Administrator.

Vd.: *Canonici*; *Parochus*; *Baptismus*;  
*Episcop. aegrot.* (Administratio Sacrament.);  
*Regul.* (privil., Ordinario etc.). Vd. p. 496.

Non posse Religiosos administrare  
Sacramenta in domibus Tertiiorum seu  
Centuratorum aggregatorum, praeter-  
quam Sacramentum poenitentiae; ad-  
ministrationem vero caeterorum Sacra-  
mentorum pertinere ad Curatum. n. 407  
ad 2 die 20. Junii 1609.

Non licere Confessario Monialium  
Sacramenta administrare ministris Mo-  
nasterii, praesertim degentibus se-  
junctim ab Ecclesia; private id spe-  
ctare ad Praepositum. n. 2162 die  
1. Apr. 1662.

*Omnes Regulares tenentur obser-*  
*vare Constit. Greg. XIV. et Clem. X.*  
*circa parochialium usum et Sacra-*  
*mentorum administrationem, vd.: Bul-*  
*lam Clem. XII. die 11. Aug. 1735.*  
(Bull. r. t. XV. p. 33.)

III. Adoratio.

Vd.: *Expositio SSmi* (adoratio); *Regul.*  
(adoratio SSmi); *Sumptio SS. Sanguinis*  
(adoratio). *De Monasteriis Monialium Ado-*  
*rationis perpetuae SS. Sacramenti in Gallia,*  
vd.: *Bullam Innocentii XI. Id. Decbr. 1676*  
(Bull. r. t. XI. p. 202).

§. 1. Dudum exponi fecit Nobis  
Ven. Frater Carolus Episcopus Lao-  
diensis non sua modo pietate se im-  
pulsus sed Cleri etiam et populi to-  
tiusque suae dioecesis in Augustissi-  
mum Eucharistiae Sacramentum eximio  
cultu et praeclara devotione excita-  
tum, novam quamdam utriusque sexus  
Christifidelium Confraternitatem sub  
titulo adorationis perpetuae et ora-  
tionis SS. Sacramenti canonice ere-  
xisse; supplices Nobis preces ex-  
hibuit, ut quo foveatur in suo populo  
et amplificetur ejusmodi perpetuae  
adorationis et orationis SSmae Eucha-  
ristiae non satis laudanda devotio pro-  
moveaturque hoc etiam adjumento salus  
animarum, auctoritate Nostra Confra-  
ternitatem praedictam pro civitate,  
patria et dioecesi Laodiensi omnibus-  
que in ea adscribi volentibus confir-  
mari atque eandem alteri Confrater-  
nitati SS. Sacramenti in Collegiata in-  
signi s. Martini civitatis Laodiensis,  
quae Archiconfraternitati SS. Sacra-  
menti Urbis est aggregata, unire  
ipsiusque Confratribus et Consororibus  
eadem indulgentias, quibus eadem  
illae Confraternitates SS. Sacramenti  
fruuntur, elargiri apostolica benigni-  
tate dignemur.

§. 2. Nos itaque hujusmodi suppli-  
cationibus inclinati, auctoritate Nobis  
a Domino tradita, Confraternitatem a  
praedicto Ven. Fratre Carolo Episcopo  
Laodiensi erectam pro oratione per-  
petua in qualibet diei hora ad SS. Eu-  
charistiae Sacramentum pro civitate,  
patria et dioecesi Laodiensi omnibus-  
que in ea adscribi volentibus confir-  
mamus eamque motu proprio alteri  
Confraternitati Sacramenti in Collegiata  
insigni s. Martini ejusdem civitatis  
Laodiensis ab anno 1575 erectae et  
Archiconfraternitati SS. Sacramenti Ur-  
bis aggregatae unimus et omnes sin-



gulas indulgentias, quibus Archiconfraternitas praedicta Urbis gaudet, communicamus. Ac insuper easdem omnes et singulas indulgentias, quibus aliae Confraternitates pro perpetua SS. Eucharistiae Sacramenti adoratione institutae fruuntur, clementer elargimur; omnibus vero dictae Confraternitatis, ut supra erectae, Confratribus et Consororibus per integram horam ante SS. Euch. Sacramentum pie orantibus indulgentiam plenariam semel in mense concedimus.

§. 3. Item ex speciali gratia eisdem Confratribus et Consororibus vere poenitentibus, confessis ac sacra communione reffectis et juxta mentem Nostram per aliquod temporis spatium orantibus *Indulgentiam plenariam in dominica infra octavam SS. Corporis Christi, in dominica infra octavam omnium Sanctorum et in festo Epiphaniae, in prima dominica Quadragesimae et prima dominica Maii, et in quatuor festivitibus infra annum ab eodem Fratere Episcopo Laodiensi designandis impertimur* atque omnes et singulas indulgentias, quas volumus perpetuis futuris temporibus, *animabus fidelium defunctorum applicari posse concedimus et indulgemus*. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Nostrae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 4. Septbr. 1765.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 127 Ed. Rom. 1841.)

*Ex decret. Concilii prov. Pragense diei 29. Septbr. 1860.*

Quandocumque SS. Eucharistia publice adoranda exponitur, accendantur ad minimum duodecim candelae, quae continuo ardeant, fiatque debita in-

consatio, atque si longiori tempore exposita remaneat, Ecclesiae rector curabit, ut semper adsint aliqui Clerici, qui illam flexis genibus adorent. Quodsi Sodales Confraternitatum in suis vel etiam in alienis Ecclesiis id facere velint, scamnum ab ecclesiasticis sejunctim illis tribuatur, ut Deum precentur.

Animarum pastores, dum populum de significatione caeremoniarum et omnium, quae in sacra liturgia fiunt, edocent, eum etiam de modo instruant, quo domum Dei ingredi ibique honeste sese gerere oporteat. Etenim pietas interna corporis quoque habitu externo testatam se facit; unde fideles, quum reverentiam sanctissimo mysterio et ipsi sacro loco debitam numquam non exhibere debeant, praesertim in sacrificio Missae, maxime in elevatione usque ad Communionem Sacerdotis, Jesum Christum super altari praesentem summa humilitate et vel ideo flexis etiam genibus adorare non intermittant. Multo magis indecentem strepitum, indignam confabulationem vel somnolentiam, ubi coram facie aeterni regis comparent, plane abhorreant. Parochi idecirco de istis rebus fideles quandoque ex professo edoceant vigilentque sedulo, ne quis tempore Officii deambulare, nugas agere, SSmo adversus sedere, altaribus vel fonti baptismali insidere audeat.

(Tit. III. cap. II.)

Colonien.

*Ad dub. I.: An Beneficiati Kempensis, nuncupati Vicarii, cogendi sint bini orare per horam, dum SS. Sacramentum exponitur in summis Ecclesiae solemnitatibus et diebus precum publicarum? Et quatenus affirmative;*

*II.: An et a quo sit conficienda tabella designationis et distributionis horarum in casu?*

S. C. resp. ad I.: Affirmative comprehenso parochi et Sacellanis et amplius;

ad II.: Conficiendam esse a parochi et amplius.

Die 14. Martii 1767.

#### IV. Asservatio.

##### 1) Altare.

Propos. fuit: SS. Sacram. continuo retineri in eadem Eccles. super dupl. altari, nimirum super altari chori et super alio, ratione parochiae eidem Cathedrali unitae?

S. C. resp.: SS. Sacramentum servandum esse in uno tantum altari designando ab Episcopo.

n. 3392 ad 3 die 21. Julii 1696.

Cf.: *Expositio SSmi; Tabernaculum* (locus et situs; praecipue decr. n. 5028; in Cathedrali).

SS. Sacramentum non est custodiendum in altari amovibili, sito in medio Ecclesiae, sed collocetur in aliquo decenti sacello, quod non sit e conspectu chori. S. R. C. 14. Jun. 1845.

SS. Eucharistiae Sacramentum asservandum est uno tantum in loco cujuscunque Ecclesiae, in qua custodiri debet, potest aut solet. S. C. Ep. 13. Oct. 1620.

Vd.: *Hostia; SS. Sacramentum* (modus asservandi).

*Benedictus PP. XIV.*

Eadem ratione, tam ubi sunt duae parochiae, latina altera et altera graeca, quam in una eademque parochiali Latinorum vel etiam Graecorum Ecclesia, in qua praeter altare majus, quod pro solis graecis sacerdotibus erectum est, minora quoque altaria pro latin. sacerdotum usu extracta conspiciuntur, statuimus et decernimus, ut neque lat. parochus pyxidem in Ciborio

cum particulis sub specie fermentati pro communione Graecorum, neque parochus graecus sub specie azymi pro communione Latinorum, in quocunque Ecclesiae suae altari retineat, sed unusquisque sacerdos non nisi in suo sive graeco sive lat. ritu SSimum Fidelibus porrigere debeat.

*Constit. Bened. XIV. die 26. Maii 1742.*

(Bull. r. t. XVI. p. 98. XI.)

Non ferri potest consuetudo asservandi SSimum in duobus vel tribus altaribus, et nunquam occasione novendialis aut alicujus festivitatis transferendi etiam in aliud altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur.

Die 11. Apr. 1861 in u. s. Jacobi de Chile d. B.

In eadem Ecclesia, nisi peramplum sit, SSimum praeter evidentem necessitatem haud plus uno loco asservetur.

(Conc. prov. Viennense die 9. Nov. 1858 t. III. c. V.)

Lisbonen.

Prior et beneficiati et parochiani de Centuel Lisbonen. dioecesis asservunt in tam fuisse concordiam inter ipsos et quamdam personam, quae construxerat capellam, ut in ea asservaretur SS. Sacramentum, quod prius in altari majore detinebatur, nuncque petunt, ut non solum in dicta capella sed etiam in altari majore liceat illud asservare. Et S. R. C. respondendum censuit: *Nihil.*

Die 18. Julii 1597.

(Anal. J. P. 1863 p. 8. n. 37.)

*Gregorius XIII. ad Confratern. SSmi Romae.*

Quia difficile esset certum locum, in quo Sacramentum reponatur, ubique uniformiter constituere, idcirco,



ut Sacramentum ipsum vel in medio altaris majoris vel in alio commodiori loco, arbitrio loci ordinarii, si Ecclesia, in qua confraternitas celebratur, saecularis, si vero regularis fuerit, arbitrio ejusdem Ecclesiae superioris, reponatur et constituatur.

Die 6. Aug. 1573.

(Bull. r. t. VIII. p. 52. §. 5. Ed. Aug. Taur. 1863.)

*Dubium:*

*Utrum ferri possit consuetudo plurimum Ecclesiarum hujus archidioeceseos et praesertim regularium asservandi SS. Eucharistiam in duobus aut tribus altaribus, et nonnunquam occasione novendialis aut alicujus festivitatis, transferendi etiam in aliud altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur?*

*Responsum:*

Primis Ecclesiae saeculis, ut aperte eruitur ex constitutionibus apostolicis, post communionem in Missa peractam nonnullae Eucharistiae particulae propter infirmos in secretario, quod tunc temporis sanctuario adhaerebat, asservabantur. Ita enim (lib. VIII. cap. 13.) legitur: *Cumque universi et universae communicaverint, accipientes diaconi, quae supersunt, inferant in pastophoria.* Aucto deinde fidelium numero et arcani disciplina sublata, Eucharistiam in templis haec fuerit asservata, certo tamen constat tum ex antiquis libris ritualibus unico in loco semper servatam fuisse. Nec aliter Ecclesia in praesenti disciplina disponit. Quoties enim Caeremoniale Episcoporum loquitur, aperte indicat unum tantum esse debere hoc altare, non vero plura. Et quoniam in nonnullis Ecclesiis haec consuetudo, de qua in proposito dubio agitur, irreperat, S. haec Congr. in una Augustae

Praetoriae diei 21. Julii 1696 declaravit: *SS. Eucharistiam servandam esse in uno tantum altari designando ab Episcopo.* Praeterea relata consuetudo praecipue illi venerationi ac obsequio adversatur, quo prosequi opus est tantum Sacramentum. Quandoquidem cum humana natura ita instructa sit, ut quidquid nimis commune videt, id minori prosequatur obsequio, si plura in eodem templo occurrerent altaria, in quibus Eucharistia custoditur, fidelium pietas ac reverentia ex multiplicitate minueretur. Insuper genua flectendi obsequium vel a populo nimis frequenter esset repetendum vel ob ipsam occasionis frequentiam non raro praeteriretur. Hinc ut christiani venerationis actus, pietatis officia ac religionis testimonia erga SS. Eucharistiae Sacramentum facilius adimplere valeant, expedit profecto vitare, ne ad ea omnia saepius quam par est teneantur. Hujusmodi igitur consuetudo irrationabilis omnino videtur, utpote quae contraria est tum veteri tum praesenti Ecclesiae disciplinae, ab hac S. Congregatio reprobata; nullo demum fulcitur vel cultus splendore vel fidelium commodo vel caeremoniarum utilitate. Quapropter respondendum putarem: *Negative.*

S. C. resp.: In voto Magistri Caeremon.

Die 16. Apr. 1861.

(Anal. J. P. 1861 p. 781.)

2) In capella regia.

Toletana.

Remisso S. R. Congregationi pro voto a SSmo Dom. N. supplici libello majestatis catholicae sibi a Exmo Domino duce de Medina Coeli apud s. Sedem ordinario illius oratore praesentato, super facultate concedenda impo-

capella SS. Eucharistiae Sacramentum cum ejusdem Missae celebratione singulis mensibus per annum. S. Congregatio praefata, ad relationem Emi de Laurea, censuit petitam gratiam expositionis concedi posse in diebus arbitrio ipsius serenissimi regis semel tantum designandis et nunquam deinceps immutandis et servatis quoad Missam rubricis missalis romani.

Die 10. Januarii 1693.

(Anal. J. P. 1865 p. 1332 n. 2491.)

3) In capella pro exercitiis destinata.

Urbis.

Supplicante P. Rectore Seminarii romani nomine totius illius communitatis pro concessione facultatis retinendi SS. Eucharistiae Sacramentum in capella destinata publicis exercitiis pietatis, S. R. Congregatio, re mature discussa et bene perpensa, respondit: Non liquet et interim cum SSmo.

Die 2. Septbr. 1679.

Et facta SSmo relatione Sanctitas Sua renuit.

Die 16. Septbr. 1679.

(Anal. J. P. 1865 p. 1223 n. 2111.)

4) In Cathedralibus.

Vd.: *Ordinatio* (altare, decr. Giennen. n. IV.); *SS. Sacram. Euch.* (exposit. in Pontifical.); *Tabern. in Cathedr.*

5) In Coena Domini.

Vd.: *Sepulchrum* (erectio); *Coena Dom.* (clavis etc.); *Tabernacul.* (Ornatus).

Confratres s. Crucis de Keres fer. V. Coena Dom. non possunt monumentum instruere in capella et in eo asservare SSmum in fer. VI. Parasceve. n. 3297 ad 2 die 20. Decbr. 1692; n. 3627 ad 2 die 6. Maii 1702.

Non licet Confraternitati SS. Sacramenti Montis Marci fer. V. in Coena

Dom. facere Sepulchrum et conservare in eo SSmum usque ad occasum solis et illud amovere ad effectum asservandi in tabernaculo ac facere processionem per Ecclesiam sine consensu parochi. n. 3457 ad 3 et 4 die 25. Jan. 1698.

Apponi non debet sigillum in ostiolo, ubi fer. V. in Coena Dom. reconditur SSmum. n. 4986 ad 1 die 7. Decbr. 1844.

6) In Domibus et itineribus.

Vd.: *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV.: *Etsi pastoralis* §. 6. n. VII. t. III. p. 250).

7) In Eccles. Confrat.

Episcopus potest ex causa concedere Confraternitatibus Laicorum, ut SSmum conservent in eorum Ecclesiis.

S. R. C. 11. Jun. 1604 *Iscolen de Ferro.*

Vd.: *Orator. publ.* (functiones etc.); *SS. Sac. Euch.* (asserv. in eccl. non paroch. etc.).

Anconitana.

Confraternitates SS. Sacramenti et Rosarii terrae Syroli Anconitanae dioecesis exponentes ab immemorabili semper retinuisse in eorum ecclesiis SS. Sacramentum, novissime ab Ordinario in Synodo ordinatum fuisse, nonnisi ecclesias parochiales illud retinere posse, supplicarunt pro licentia illud retinendi, non obstante decreto synodali. Et S. C. resp.: *Nihil.*

Die 11. Decbr. 1627.

(Anal. J. P. 1863 p. 199.)

Senogalien.

In causa asservationis SS. Sacramenti extra parochialem per Confratres societatis SS. Sacramenti civitatis Senogallien. stante immemorabili allegata, S. Congr. mandavit recipi probationes formiter supra dicta immemorabili per



Vicarium gen., ad effectum illas postea transmittendi ad hanc S. Congregationem, sed interim Confratres abstineant omnino a praedicta asservatione.

Die 24. Julii 1638.

(Anal. J. P. 1863 p. 269.)

*Ad dubium:* An in eadem Confratrum ecclesia de sola licentia Episcopi et per tempora ab ipso praefinita liceat publicae venerationi exponere SS. Sacramentum illudque tamdiu in tabernaculo retinere?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 12. Aug. 1747 ad 4.

*Ad dub.:* An et quomodo in dicta ecclesia s. Mariae Gratiarum retineri possit tabernaculum jam extractum seu potius sit locus ejus demolitioni in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad I. partem remoto ostiolo; negative ad II.

Die 11. Julii 1767.

#### Isolana de Forio.

In causa vertente inter Magistros et Confratres societatis s. Mariae de Laureto loci de Forio Isolanae dioecesis et Episcopum Isolanum circa facultatem retinendi et conservandi SS. Sacramentum in praedicta ecclesia, prout ex privilegiis a Sede apost. eidem concessis per spatium annorum viginti hactenus retinuerunt et decenter conservaverunt, ac processiones faciendas per dictos Confratres et alios Confratres SS. Rosarii in eadem ecclesia singulis mensibus, audita relatione Illmi et Rmi D. Cardinalis de Monte, cui haec causa commissa fuerat, S. R. Congregatio censuit et declaravit: debere Confratres praedictos debita cum reverentia et submissione ab Episcopo Isolano eorum pastore SS. Sacramentum petere, qui eis concedere debeat, ut juxta eorum consuetudinem et pri-

vilegia et pro servitio etiam hospitalis eidem ecclesiae contigui, illud in eadem ecclesiae debita cum reverentia et decencia conservare possint. Et processiones solitas facere singulis mensibus et aliis festivitibus solitis, dummodo servent formam libri caeremonialis Episcoporum circa hastas baldachini deferendi in processione juxta SS. Sacramentum. Quas processiones facere debeant eodem modo et forma, prout fiunt in Cathedrali ecclesia Isolana. Et ita statuit, decrevit, ordinavit.

Die 19. Junii 1604.

(Anal. J. P. 1863 p. 33 n. 120.)

*Ad dubium:* An liceat eisdem Confratribus in qualibet fer. 3. per totum mane illius diei asservare in tabernaculo SS. Eucharistiam ad effectum illam subministrandi Christi-fidelibus in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative de licentia Episcopi.

Die 17. Julii 1773 Faventina.

Indubii juris est, SS. Eucharistiae Sacramentum asservari et retineri non posse in Ecclesiis Confraternitatum absque speciali indulto Sedis apost., ut etiam declaravit S. C. R. in dictis Decret. gen. ad dub. 26. Inquirendum hinc, an idem indultum praesummendum sit in vim immemorabilis observantiae, vel saltem, cum non de continua retentione Sacramenti quaestio sit, sed tantum de brevi tempore toto scilicet mane fer. 3., sufficiat sola Episcopi licentia. S. Congregatio in una Cassanen. 12. Augusti 1747 proposito dub. IV.: An in Confratrum Ecclesia de sola licentia Episcopi et per tempora ab ipso praefinita liceat publicae venerationi exponere SS. Sacramentum illudque tamdiu in tabernaculo retinere, respondit: Affirma-

tive, et Episcopus prudenter concedat.

(Ex resol. S. C. C. diei 3. Aprilis 1773 Faventina.)

#### Mazzarien.

Porrecto SSmo D. N. Innocentio PP. XII. supplici libello e Confratribus Confraternitatis seu Congregationis s. Mariae Agonizantium in ecclesia saeculari s. Caroli oppidi Parlamae Mazzarien. dioecesis canonice erectae, quo Sanctitati Suae humiliter supplicabatur, ad augendam spem habendi suffragium Eucharistiae expositionis in articulo mortis, devotionem et pietatem, tam ipsorum confratrum quam caeterorum oppidanorum, pro indulto asservandi perpetuo in ecclesia praedicta SS. Eucharistiae Sacramentum, eoque a Sanctitate Sua ad S. R. Congregationem remisso, S. eadem R. C., referente Emo Cardinali S. Clementis, attentis relatione ordinarii et consensibus tam parochi quam beneficiarii ecclesiae s. Caroli praedictae, concurrentibus pro gratia peculiaribus requisitis ad decentem in eadem ecclesia SS. Sacramenti custodiam, gratiam petitam arbitrio Episcopi esse remittendam censuit.

Die 3. Octbr. 1699.

(Anal. J. P. 1865 p. 1385 n. 2700.)

#### Carpentoracten.

Cum in sacello Confratrum sodalitates Poenitentium alborum loci Carumbi Carpentoracten. dioecesis quinque per annum SS. Eucharistiae Sacramentum exponatur et obstantibus decretis de nocte in eodem sacello nequeat retineri, sed ante occasum solis ad ecclesiam parochialem debeat deferri, cumque ob parochiae distantiam et aliquando ob temporum injurias non tam decenter, imo cum maximo incommodo delato praedicta

fieri contingat, Confratres sodalitates praedictae S. R. Congregationi, pro facultate retinendi sacrosanct. Hostiam in suo sacello per noctem subsequentem, usquedum a sacerdote in aurora proximae diei a celebrante consumeretur, humiliter supplicaverunt. Et S. eadem R. Congreg., audita relatione Episcopi Carpentoracten., cui scriptum fuerat pro informatione, attento maxime consensu parochi, gratiam petitam, dummodo cum custodia et lampadibus decenter asservetur, nec non clavis tabernaculi sacerdoti in aurora diei subsequentis quam citius consummaturo consignetur, oratoribus benigne indulsit atque concessit.

Die 9. Maii 1699.

(Anal. J. P. 1865 p. 1381 n. 2684.)

*Ad dubium:* An SS. Sacramentum retineri possit in Oratorio Confrat. Orationis et Mortis loci Praedarii?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 3. et 24. Septbr. 1718.

Sub die 13. Jan. 1720 ad idem dubium resp. fuit: *In Decisis, arbitrio tamen Episcopi attentis circumstantiis facti.*

*Ad dubium:* An retinere valeat tabernaculum in altari pro asservando SS. Eucharistiae Sacramento dumtaxat de mane et post Missarum celebrationes tabernaculum apertum et vacuum retineri in oratorio publico?

S. C. resp.: Negative et amplius.

Die 13. et 17. Junii 1744.

#### Neapolitana.

Recurrente jam praedefuncto parochio Quidello parochiae s. Januarii ad ultimum hujus civitatis pro declaratione neutquam asservari posse sacram synaxim in ecclesia Conservatorii mulierum sub invocatione ss. Philippi et Jacobi, quod regitur per Consules



seu Administratores laicos artis serici, S. haec Congr. sub die 2. Julii 1707 resolvit, non posse juxta decreta in Salernitana 19. Aug. 1802. His vero non acquiescentes dd. Consules praetendentes ulterius administrari posse a Confessario dicti Conservatorii omnia Sacramenta mulieribus in eo existentibus independenter parochi vigore asserti Brevis s. m. Sixti V., cujus copiam exhibuerunt, proposita fuerunt infrascripta dubia in folio nunc ex benignitate reassumendo diei 28. Julii anni proxime praeteriti:

I. An sit standum vel recedendum a decisio sub die 2. Julii 1707?

II. An Confessarius Conservatorii ss. Philippi et Jacobi valeat administrare monialibus omnia Sacramenta privative quoad parochum?

Et S. C. resp. ad I.: In decisio, et supplicent SSmo; ad II.: exhibeatur breve.

Cumque jam ad tenorem primae resolutionis iidem Consules preces S. D. N. porrexerint, eidem S. Congregationi remissas, fuit exinde requisita informatio Emi Archiepiscopi, qui refert ex testibus in ejus curia examinatis constare de immemorabili quasi possessione asservandi tabernaculum cum SS. Eucharistia in praefata ecclesia Conservatorii, quemadmodum pariter id liquere subdit ex quibusdam anteactis visitationibus, necnon ex diplomate sibimet exhibito S. M. Sixti V. continente amplissimam facultatem retinendi et conservandi omnia Sacramenta eidem ecclesiae elargitam, ac tandem Episcopus inquit, modernum parochum suum consensum in forma praestitisse super gratia ab oratoribus obtinenda. Recitatis hujusmodi precibus in Congregatione praeterita jussum fuit, ut ponerentur in folio, prout humilliter instantibus iisdem oratoribus executum fuit sub dubio:

*An et quomodo sit indulgendum*

*pro continua asservatione SS. Sacramenti Eucharistiae in ecclesia Conservatorii in casu?*

S. C. die 17. Apr. 1709 repondit: Affirmative.

#### 8) In Ecclesia hospitali.

Vd.: SS. Sacram. (administr. p. 488.)

#### Quiten.

Rex Hispaniarum catholicus petit concedi, ut in ecclesia hospitali civitatis s. Francisci Quitoae in America meridionali asservetur Sacramentum et oleum infirmorum, et deputetur sacerdos pro administratione Sacramentorum poenitentiae, Eucharistiae et extremae unctionis, necnon habeantur campanae minores quam in ecclesia cathedrali, et mortuorum cadavera inibi tumulentur, et demum indictum hospitale fruatur iisdem indulgentiis, quibus gaudet regium aulae hospitale.

Et S. Congr. rescribendum censuit: Possint Eucharistiam asservare, dummodo decenter faciant, habeant sacerdotem approbandum ab Ordinario, qui Sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et extremae unctionis praebet. De indulgentiis, concedendae quidem esse videntur, sed prius specificentur.

Die 11. Maii 1593.

(Anal. J. P. 1363 pag. 3. n. 10.)

#### Senarum.

Mulieres Congregationis s. Nicolai in Saxo, l' ospedale di madama Agnese di Siena vulgo nuncupatae supplicarunt pro licentia asservandi in earum ecclesia SS. Eucharistiae Sacramentum, accedente etiam commendatione et voto Archiepiscopi Senarum pro concessione, et S. R. Congreg. remisit ad Archiepiscopum Senarum, ut, si ei videatur, concedat.

Die 29. Novbr. 1632.

(Anal. J. P. 1863 pag. 247.)

#### Barchinonen.

Everso funditus cum vi bellorum regiae arcis aedificatione vetustissimo pauperum peregrinorum hospitali, quod Barchinonae erat sub titulo b. Mariae de Mari, cum ejus redditus superessent, novum cum nova atque eleganti ecclesia postremis hisce temporibus extractum fuit, in quo triduo hospitantur peregrini sive ab Hispaniis in Italiam venientes sive ab Italia in Hispanias. Cum vero novum hoc hospitale eique adjuncta ecclesia septingentis circiter passibus a parochiali distet ecclesia, e qua non opportune quandoque transferri potest ad peregrinos infirmos augustissimum Eucharistiae Sacramentum, cum eadem hospitalis ecclesia satis ornata sit, cum redditibus instructa, cum suum habeat sacerdotem et sodales plures ex cultioribus urbis illius civibus, qui hospitali et ecclesiae serviunt, neque vicini desint propinquarum domorum habitatores, qui eam concelebrant, fere necessarium putarunt Decuriones civitatis, qui idem hospitale administrant, ut in ejus ecclesia perpetuo servaretur augustissimum Eucharistiae Sacramentum, praesertim cum jam veniam obtinuissent ab Episcopo illud certis diebus publicae adorationi exponendi, quibus Sodales ex eorum instituto opera quaedam pietatis exercent. Ut igitur facultatem hanc perpetuo illud retinendi facilius impetrare possent, consensum obtinuerunt a parochi, penes quem est habitualis cura animarum, inde hac de re rogarunt Episcopum, qui rescripsit audiendum esse Vicarium perpetuum et sacerdotes adscriptos paroch. ecclesiae. Paulo post decessit Episcopus et Vicarius capitularis, perpensis supra adductis causis, veniam perpetuo retinendi in ecclesia hospitalis augustissimum Eucharistiae Sacramentum sine praejudicio jurium parochialium indulsit.

Decreta authentica. Tom. III.

Appellarunt Vicarius perpetuus et sacerdotes ecclesiae parochialis ad sanctam Sedem et postularunt a signatura justitiae circumscriptionem ejusdem concessionis utque causa ad iudicium Rotae deferretur, sed magistratus Barchinonensis preces obtulit sacratissimo principi nostro, quibus postulavit indultum retinendi et publicae adorationi exponendi augustissimum Eucharistiae Sacramentum in ecclesia hospitali ideoque Emis Patribus cognoscendam esse decrevit. Auditus igitur novus Episcopus luculenta epistola animi sui sententiam secundum postulationem magistratus aperuit, rationes omnes Vicarii perpetui et eorum sacerdotum ecclesiae parochialis, qui cum Vicario perpetuo sentiunt, alii enim consensum praestant magistratui, funditus rejecit eoque magis perpetuam retentionem august. Sacramenti indulgendam censuit: „quod, cum ab anno et fere tribus mensibus SS. Sacramentum in hospitali ecclesia asservetur, si postulatum indultum denegaretur, cederet in magnum dedecus magistratus totam civitatem repraesentantis, et aliunde impedirentur spiritualia exercitia Confraternitatis SS. Crucifixi etc., et quod caput est, quasi scandalum oriretur in civitate, cum ibidem sueverit SS. Sacramentum hucusque omnium approbatione ac plausu publica gratulatione tam nobilium quam popularium retineri, et quod magis est, etiam quorundam presbyterorum residentium ejusdem parochialis, qui irrationabilem esse putant contradictionem Vicarii et aliorum.“ Haec Episcopus. Causa nunc proponitur et iisdem juris et prudentiae rationibus disputat magistratus concedendum esse apostol. indultum. A Vicario et sacerdotibus ecclesiae parochialis nihil habuimus. Dubium est: *An sit locus concessioni indulti pro continua retentione Ven. Sacra-*